

liter includat, et præsertim tres virtutes theologales, quàm in lib. 7 de Gratia, c. 9, late tractavi, et probabilius duxi fidem et spem, licet omnino necessariæ sint ad justificationem viæ, et possint aliquo modo dici de substantia, vel integritate illius, nihilominus tamen gratiam, vel solam, vel ad summum charitati conjunctam, esse formam essentialem justificationis. Idem ergo cum proportione dicendum censeo in præsentem, hac observata differentia, quod justificatio, quasi in receptione, et passiva (ut sic dicam) deificatione animæ posita est, et ideo forma illius maxime est gratia sanctificans. Perfectio vero consistit in operatione vel proxima habitudine ad illam, et ideo in sola charitate et amore Dei propter seipsum essentialiter constituitur. Nam, ut dixit Bernardus, d. serm. 83 in Cantica: *Amor sibi abundat, amor cum venerit, cæteros in se traducit, et captivat affectus. Propterea, qui amat, amat, et nihil aliud novit. Sponsus et sponsa sunt; quam quæris aliam inter sponso necessitudinem, et connexionem, præter amari et amare?* Unde infert ibi tacite Bernardus, etiam virtutem religionis et affectum ad opus ejus, quod est honorare Deum, non pertinere ad essentialiam perfectionis, quia in omnibus eminet amor, et sine illo nihil placet. Unde adjungit: *Et quidem soli Deo honor et gloria, sed horum neutrum acceptabit Deus, si melle amoris condita non fuerint.* Quod similiter de fide et spe dici potest. Unde infert: *Is (utique amor) per se sufficit, ipse meritum, ipse præmium sibi est amor, præter se non requirit causam, non fructum, et cætera quæ eleganter ac pie prosequitur.*

23. *Fides et spes veluti materialiter solum ad perfectionem requiruntur.* — Fides ergo et spes, quamvis materialiter (ut sic dicam) ad perfectionem necessariæ sint, nihilominus essentialia perfectionis in charitate sola merito collocatur. Tum quia ipsæmet fides et spes, nisi charitate formentur, nomen perfectionis non merentur, cum mortuæ sint, et quasi nihil censeantur. Unde est illud Augustini, 15 de Trin., c. 18: *Dantur et per Spiritum Sanctum alia munera, sed et sine charitate nihil prosunt.* Quod etiam repetit hom. 10 de Verbis Domini, et habet fundamentum in Paulo, 1 Corinth. 13, et Jacobi 1, et 1 Joan. 3: *Qui non diligit, manet in morte.* Tum etiam quia fides et spes non sunt per se necessariæ ad perfectionem, sed solum ratione imperfectionis, quæ in homine supponitur in statu viæ: unde non tam propter se quam propter

charitatem postulantur; et ideo sola charitas quasi regina et essentia perfectionis reputatur. Quamvis negari non possit fidem et spem multo altiori ratione, majorique vinculo ac necessitate conjungi charitati, quam reliquis virtutes, ideoque perfectionem earum non tam accidentalem esse quam substantialem, et ad essentialiam proxime accedere, et posse aliquo modo de integritate censi. Nam fides est fundamentum, spes autem fulcimentum charitatis dici potest. Et hoc probant rationes dubitandi propositæ. Idemque cum proportione dicendum est de beatitudine hujus vitæ, et contemplatione. Nam probabilius est beatitudinem hujus vitæ in amore consistere, ut docuit Can., lib. 9 de Locis, c. 9, et in 1. 2, suo loco diximus, et in sequentibus dicemus contemplationem in amore præcipue consistere, eumque essentialiam ejus perfectionem dici posse, licet sine mentis cogitatione esse non possit.

CAPUT IV.

QUALIS PERFECTIO CHARITATIS PER STATUM PERFECTIONIS INTENDATUR.

1. *Imprimis non requiritur amor Dei infinitæ perfectionis, et comprehensionis.* — Diximus perfectionem vitæ christianæ esse ipsam charitatis perfectionem, et addidimus non solum essentialiam perfectionem ejusdem charitatis per statum perfectionis intendi, sed cum additione aliqua seu peculiari augmento aut excellentia, quia sola essentialis perfectio communis est, aut esse debet omnibus Christianis secundum debitum fidei viventibus; quia ergo in charitate ultra essentialiam perfectionem multæ aliæ inveniuntur, explicare oportet quam illarum status perfectionis exigat vel respiciat. In quo imprimis cogitari potest aliquis amor Dei infinitæ perfectionis et comprehensionis (ut sic dicam) diligibilitatis Dei, eique adæquatus. Et de hac perfectione charitatis non est sermo, ut dixit D. Thomas, d. q. 84, art. 2, quia est simpliciter impossibilis creaturæ; perfectio autem, de qua agimus, debet esse possibilis, et ut talis apprehendi, alioquin intendi non posset, nec ut scopus status perfectionis proponi.

2. *Neque etiam requiritur actualis amoris immutabilitas, quæ nullum patiat defectum vel venialem.* — Deinde potest considerari perfectio amoris, quæ perpetuitatem, atque immutabilitatem in actuali amore sine inter-

ruptione requirat, et tantam puritatem cordis includat, ut nullam venialem culpam, nec minimum defectum aut difficultatem in executione Dei voluntate secum admittat. Et de hac etiam non est sermo, ut idem Doctor Sanctus adjungit; quia illa perfectio est propria Beatorum; viatoribus autem secundum legem ordinariam, et seclusis privilegiis, est impossibilis. Hic autem tractamus de perfectione charitatis, ad quam possit in hac vita perveniri, et ideo etiam possit medio statu perfectionis intendi. Unde Moyses Abbas, in d. collat. 1, cap. 4, distinguit finem ab scopo seu destinatione status monachalis; dicitque perfectionem patriæ esse finem monachi, perfectionem autem viæ, quam in cordis puritate ponit, esse scopum seu destinationem monachi. Verumtamen etiam scopus in præsentem rationem finis habet; nam est intentus per media illius status, et ideo etiam destinatio vocari potest, non quatenus vox illa actum vel propositum mentis significat, sed quatenus ad significandam perfectionem intentam, quatenus ad illam tendit mentis destinatio, transfertur. Sunt ergo finis et scopus tanquam finis extrinsecus et intrinsecus, remotus vel proximus, quorum proximus in hac vita acquirendus est, remotus vero sperandus in futura; illa ergo perfectio charitatis, quæ propria est patriæ, ad præsentem considerationem non spectat.

3. *Plures charitatis perfectiones proponuntur.* — Præterea in charitate viæ variæ perfectiones ultra essentialiam spectari possunt. Nam essentialis perfectio in hoc ponitur, quod diligatur Deus propter seipsum ex toto corde et animo, seu super omnia appetitive. Hoc autem fieri potest per charitatem habitualement in actu primo, vel per actum secundum, quod est veluti perfectio addita habitui charitatis, et est extra essentialiam ejus. Deinde utroque modo fieri potest, vel per charitatem remissam, vel per intensam, et ideo alia perfectio, augens intrinsece charitatem ultra essentialiam exigentiam ejus, est intensio secundum latitudinem graduum. Præterea ex parte objecti potest esse major vel minor extensio, præsertim in actu charitatis. Primo, quatenus non solum Deus, sed etiam proximus per illum amatur. Secundo, respectu Dei per quamdam habitudinem ad effectus vel objecta voluntatis Dei, major vel minor extensio in ipso Dei amore inveniri potest. Nam, qui ita amat Deum super omnia, ut tantum includat formale vel virtuale

propositum nunquam illum graviter offendendi, neque se ab illo avertendi propter quamcumque causam vel creaturam, illum amat cum majori limitatione, et minori cordis extensione, quam qui illum ita diligit, ut propter ipsum omnem levissimam offensam seu culpam vitare proponat; et adhuc universalioris Dei amorem habet, qui ex amore non tantum implere omnia præcepta, et vitare omnia, etiam levia, peccata, sed etiam divina consilia servare, et media, quæ ad perfectionem conducunt, assumere, in corde suo statuit. Et in hoc genere potest multa varietas cogitari, quatenus plures actus amoris fieri possunt, quibus majus vel minus bonum divinum extrinsecum non solum per simplicem benevolentiam affectum ametur, sed per intentionem absolutam, quæ ex parte amantis ad executionem tendat, ut est amor placendi Deo in omnibus vel in pluribus, magis vel minus arduis, vel ad majorem vel minorem Dei gloriam pertinentibus. Hujusmodi enim perfectio, licet extensiva vocetur ex parte objecti, revera est intensiva in actu, non secundum latitudinem graduum, hoc enim non semper est necessarium, sed secundum individualement perfectionem, seu entitatem ipsorum actuum. Denique considerari potest alia perfectio in charitate, quæ, præter intrinsecam perfectionem actus vel habitus, necessaria moraliter est ad exercendam charitatem, et per illam imperandum opera honesta prompte et delectabiliter, constanter ac frequenter; et hæc perfectio quodammodo est extrinseca, id est, adjacens charitati. Nam ex consortio aliarum virtutum, et moderatione et ablatione impedimentorum consurgit. Merito ergo investigamus qualis perfectio charitatis in statu vel per statum perfectionis intendi debeat. Et ut distinctius res intelligatur, de singulis sigillatim dicetur.

4. *Utrum perfectio charitatis intenta ab statu perfectionis, in habitibus, an in actibus consistat.* — Primo ergo inquiri potest, an hæc perfectio in habitibus vel in actibus consistat, seu an in actu primo vel secundo. Aliquibus enim placet consistere in actu secundo perfectæ operationis. Primo, quia revera beatitudo in actuali operatione posita est, ut ex 1. 2 supponitur; ergo et perfectio hujus vitæ. Probatur consequentia, quia in tali perfectione videtur beatitudo hujus vitæ consistere. Secundo, quia sicut perfectio patriæ consistit in actuali consecutione et tentione finis ultimi, ita perfectio viæ in actuali ten-

dentia posita est : tendimus autem actualiter per actum charitatis, non per habitum; ergo in tali actu consistit perfectio. Tertio, quia perfectio consistit in eo quod præcipitur vel consulitur; præcipiuntur autem, vel consuluntur non habitus, sed operationes. Ergo.

5. *Vera sententia.* — *Consistit in habitu non absolute, sed ita disposito, ut prompte et sine impedimento ex parte subjecti actus elicere et imperare valeat.* — Alii vero constituunt hanc perfectionem per modum habitus, non quod in sola charitate habituali, etiam intensa, posita sit; sed in illa talem statum habente, ut prompte et sine impedimento ex parte subjecti actus suos tam elicitos, quam imperatos exercere valeat, etiamsi actum nullum eliciat. Probatur primo, quia hic est scopus status perfectionis, sic dicti, quia est via ad perfectionem, seu modus vivendi aptus ad obtinendam illam. Quia non tenditur per illum statum ad unum aliquem actum vel continuam operationem, sed ad virtutes acquirendas, et frenandos affectus, et tollenda omnia impedimenta; ita ut homo ad eam dispositionem permanentem et stabilem perveniat, in qua veluti connaturaliter quibusdam temporibus Deum amet, et aliis alia opera virtutis exerceat, et semper, quantum fragilitas hujus vitæ patitur, minima etiam peccata evitet. Hæc ergo dispositio et status personæ, quasi per modum habitus permanens, est perfectio vitæ christianæ, de qua tractamus. Unde argumentor secundo, quia potest quis esse perfectus in hac vita, licet nullum speciale actum valde perfectum eliceret. Ergo signum est hanc perfectionem non consistere in actu aliquo perfectissimo, sed in permanente dispositione, quam observantia status perfectionis cum frequentia actuum relinquit. Antecedens patebit facile in homine, qui constanter ac frequenter, seu regulariter et diu charitatis actus et opera perfectionis exercet cum moderata intensione: nam ille pervenire poterit ad statum perfectorum, etiamsi in singulis actibus non sit multum fervens, sed cum mediocritate et æqualitate semper operetur, ut in cap. 6 magis explicabitur.

6. *Proponitur et impugnatur prima responsio.* — Unde arguitur tertio, quia alias qui ferventem actum charitatis tam in conatu, quam in amplitudine objecti semel eliceret, consecutus esset perfectionem charitatis, quæ hominem in hac vita in statu perfectorum constituit, etiamsi nec tales actus multiplica-

ret, neque haberet passiones edomitas, nec promptitudinem perfecte operandi. Respondent aliqui concedendo sequelam, dummodo talis homo illum bonum actum nunquam retractaverit. Quia tunc in eo permanet virtualiter, et apud Deum sanctior est, et majorem gloriam obtinebit, quam is qui in actibus minus intensis diu se exercuit, et ideo apud Deum perfectior est, etiamsi apud homines non ita esse videatur. Sed hoc falsum est, tum quia supponit actus remissos non valere ad meritum augmenti gratiæ et sanctitatis, quod falsum et absurdum est, ut tractatu de Gratia, et latius in Relectione secunda diximus; tum etiam quia supponit solam intensionem habituum vel unius actus sufficere ad perfectionem, de qua tractamus, quod statim impugnabimus. Tum denique quia illo modo diceretur homo perfectus per denominationem extrinsecam seu moralem ab actu præterito, quod statim per se falsum et contra omnem sensum apparet.

7. *Proponitur et impugnatur secunda.* — Unde alii minus improbabiler respondunt, unum actum non sufficere, nisi moraliter continuetur per frequentiam actuum, sine interruptione voluntaria, sed sola naturali, vel ita parva, ut pro nihilo reputetur; et in tali continuata operatione dicunt consistere perfectionem hujus vitæ, quia non est capax majoris perseverantiæ in actuali operatione. Qui modus dicendi probabilis est; nihilominus tamen, simpliciter loquendo, probabilius ponitur hæc perfectio in actu primo cum quadam habitudine speciali ad perfectionem et frequentiam actuum secundorum. Quia revera hæc denominatio hominis perfecti, realis, intrinseca, et permanens ac durabilis est, etiam dum homo nihil operatur actu; et ideo ab intrinseca forma reali ac permanente sumi debet; et ideo neque unus actus nec actuum frequentia sola potest esse forma, seu perfectio, a qua homo perfectus denominatur. Quia cessante actu, etiam per physicam tantum interruptionem, ut est in somno, homo habet in se perfectionem illam, a qua perfectus denominatur; sicut habet scientiam a qua sapiens constituitur. Unde potest Deus hominem subito constituere perfectum sine actibus illius, sola sua efficacia, mortificando passiones ejus, infundendo habitus, etiam acquisibiles per actus, et constituendo eum in ea dispositione quasi habituali et permanente, ad quam homines perfecti per magnam exercitationem pervenire solent. Quod fecit

in Beatissima Virgine a primo instanti conceptionis, auferendo fomitem, et virtutes infundendo. Et quamvis tunc Virgo aliquem voluntatis actum habuerit, ut probabilis est, tamen potuit illam perfectionem permanentem sine actu habere, si Deus vellet; et de facto non habuit illam ab actu, licet cum actu illam habuerit.

8. *Perfectio antecedenter et consequenter, non tamen formaliter in actuali operatione consistit.* — Actualis ergo perfectio per frequentiam actuum, et præcedere debet secundum ordinariam legem, ut ad illam permanentem ac perfectam dispositionem perveniatur; et moraliter non conservabitur illa proxima habitus, et promptitudo ad bene operandum sine frequentia similium actuum; et hoc modo dici potest perfectio consistere antecedenter et consequenter in actuali operatione, non tamen formaliter. Et confirmari hoc potest ex his quæ Basilius tradit, hom. 10 in Exaem., circa finem, ubi ponderat prius dictum esse Genes. 1: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* et postea solum esse repetitum: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam. Quia esse ad imaginem in ipso puncto creationis obtinuit homo; insigniri autem similitudine Dei, relictum est nobis acquirendum, certa animi destinatione, et efficaci ac operatoria actione.* Per similitudinem enim perfectionem animi intelligit, quam non dicit esse actionem, sed per actionem comparari, et sic per modum formæ permanentis inesse. Et ad hoc etiam explicandum et confirmandum juvare possunt, quæ de formali causa justificationis, quod sit habitus et non actus, diximus lib. 7 de Gratia, cap. 8.

9. *Solvuntur argumenta prioris sententiæ.* — Nec contra hoc obstant conjecturæ in priori sententia adductæ. Ad primam negatur consequentia, et ad probationem dicitur, perfectionem hujus vitæ non consistere in beatitudine sumpta in illo rigore et proprietate, sed in statu et dispositione personæ, quæ ad operationem illam exercendam temporibus opportunis conveniens est. Nam beatitudo hujus vitæ imperfecta est, et ideo non potest esse in continua ac perpetua operatione. Et consequenter non potest homo semper ac continue esse beatus in illo sensu ac proprietate; potest autem semper ac continue perfectus esse. Nisi quis velit aliquem vocare felicem, etsi in illo puncto actu non operetur. Sicut Christus Dominus dixit, Matth. 5: *Beati mundo corde, quoniam*

ipsi Deum videbunt; Beati pauperes spiritu; Beati mites, etc., quæ non dicunt actualem operationem, sed bonam personæ dispositionem. Vel etiam sicut dixit Augustinus, homines in statu innocentiae quamdam beatitudinem habuisse, in qua permanebant, etiam quando actu non operabantur. Et sic negandum erit, ad beatitudinem imperfectam esse necessariam actualem operationem continuam, sed juxta status capacitatem. Sed hoc ad modum loquendi pertinere videtur. Unde simili modo dicitur ad secundum, actualem tendentiam continuam non esse necessariam ad perfectionem viæ, quia non est tali statui possibilis secundum communem legem; sufficet ergo proxima habitus et dispositio, quæ quidem per actualem operationem maxime perficietur; et quo frequentius et per actus perfectiores illam quis exercuerit, eo erit perfectior. Ad tertium dicitur, perfectionem consuli quoad statum et permanentiam, etiam si proxime consulantur actus per quos talis perfectio seu dispositio personæ acquirenda est.

10. *Ad perfectionem nulla requiritur certa intensio charitatis.* — *Probatur.* — Secundo, dicendum est de perfectione intensionis, in qua sola perfectionem hanc, de qua tractamus, aliqui constituunt. Quia quo aliquis habet gratiam et charitatem intensiorem, eo simpliciter sanctior est; ergo est etiam perfectior; quia hæc perfectio in sanctitate maxime postulatur. Juxta hunc ergo modum, tunc charitas dicitur perfecta, quando pervenit ad certum gradum intensionis excedentis communem cursum justorum hominum, in quo gradu poterit esse major et minor perfectio; aliquis autem gradus, tanquam minimus in eo statu necessarius erit; quantus autem ille sit, Deus novit. Sed hoc nobis non placet. Unde dico nullam certam intensionem charitatis habitualis ad hanc perfectionem esse necessariam, ac subinde nec solam intensionem, etiam magnam, ad hanc perfectionem sufficere nec requiri, quamvis cæteris paribus multum ad hanc perfectionem conferat. Probatur imprimis generaliter tota resolutio. Quia contingere potest ut aliquis habeat habitus gratiæ et charitatis valde intensos, et non habeat mortificatas passiones, nec actus heroicis vel perfectos virtutis frequenter vel ordinarie faciat, sæpiusque venialiter peccet; hunc autem nemo dicit esse perfectum vel perfectionem charitatis assecutum. E contrario vero fieri potest ut aliquis, ha-

bens charitatem minus intensam, moderatos habeat affectus, ita ut facile et ordinarie venialia vitet peccata, et constanter virtutem operetur, ac proinde in statu perfectorum sit. Ergo hæc perfectio, a qua nimirum homines vocantur perfecti, non habitus intensionem, sed aliam conditionem seu dispositionem personæ postulat, quæ ex aliis qualitatibus con-surgit, quamvis intensio ad illam juvare possit.

11. Antecedens, quoad priorem partem, facile ostenditur in multis personis revera timoratis, quoad cavenda peccata mortalia; unde longo tempore in gratia vivunt, et communia opera virtutis, ut eleemosynæ, orationis, jejunii, et similia faciunt, et frequenter Sacramenta recipiunt, vel etiam quotidie celebrant; et nihilominus sine gravi Dei offensione deliciose vivunt, libere loquuntur, vel otiose, vel impatienter, vel cum similibus defectibus operantur. Ac denique quoad opera supererogationis imperfecto modo vivunt. In his ergo possent habitus gratiæ et charitatis esse valde intensi, vel ex diuturnitate temporis cum aliquibus bonis ac meritoriis operibus; vel etiam et maxime ex opere operato propter frequentem et diuturnum usum Sacramentorum. Et nihilominus perfectioni non student, unde nec perfecti sunt; ergo sola gratiæ intensio non sufficit. E contrario vero alius breviori tempore, et sine tanto usu Sacramentorum, majori tamen diligentia potest passiones moderari, et vitare frequentiam venialium, aliaque impedimenta virtutis, et occasionem peccatorum ac defectuum tollere, ac subinde sine tanto augmento intensivo charitatis ad statum perfectorum ascendere. Ergo nullus certus gradus intensionis sufficit, vel necessarius est ad hoc perfectionis genus. Ratio autem est, quia hæc perfectio in quadam convenienti dispositione seu habilitate proxima ad perfecte operandum juxta Christi præcepta et consilia, posita est; hæc autem bona dispositio cum majori et minori charitatis intensione obtineri et subsistere potest, quia nec ex sola intensione provenit, et licet intensio juvet, quod ex ea parte defuerit, facile poterit aliunde suppleri.

12. *Corollaria.*— *Solvitur objectio.*— Unde colligitur fieri aliquando posse ut aliquis, qui ad gradum perfectorum pervenerat, ab illo cadat, et imperfectus simpliciter fiat, etiamsi mortaliter non peccet, et consequenter eandem gratiam sine diminutione aut remissione retineat. Quia, sine peccato mortali charitas

perdi non potest, nec per venialia peccata aut imperfecta opera remittitur, ut nunc supponimus. At vero ad cadendum a statu perfectionis, sufficere potest frequentia peccatorum venialium voluntaria, cum nimia indulgentia in propriorum affectuum vel voluptatum persecutione citra culpam gravem, et nimiam remissionem vel omissionem perfectorum actuum virtutis. Secundo colligitur, posse aliquem apud Deum esse sanctiorem, et nihilominus esse imperfectiorem, id est, in gradu inferiori quoad modum perfectionis existere; et consequenter posse aliquem minus perfectum in hac vita ad perfectiorem beatitudinem in altera pervenire. Nec hoc est inconveniens, quia vera sanctitas apud Deum, et jus ad æternam beatitudinem attenditur secundum gradus charitatis et gratiæ; perfectio autem hujus vitæ attenditur secundum affectum et dispositionem hominis ad operandum in hac vita, cum promptitudine, facilitate, ac vitæ puritate. Dices: etiam sanctitas et beatitudo futura datur unicuique secundum opera sua. Respondeo: esto ita sit, nihilominus possunt interdum opera conferre ad majus meritum propter multitudinem, et temporis diuturnitatem, et non esse apta ad aliam perfectionem consequendam. Et præterea illud augmentum sanctitatis et beatitudinis provenire potest ex applicatione meritorum Christi per Sacramenta, quæ tunc quoad illam partem tanquam nostra reputantur; et nihilominus ad effectum acquirendi aliam perfectionem in hac vita non accommodantur, nec applicantur.

13. *Extensionem charitatis ad dilectionem proximi non videri necessariam ad perfectionem.*— Tertio, dicendum est de alio genere perfectionis charitatis, quasi extensivæ ex parte objecti, quæ duplex distinguebatur: una est ad dilectionem proximi, alia dici potest extensio ad placendum Deo, implendo voluntatem ejus. De priori, videri potest ad hanc perfectionem charitatis per se non pertinere, quia perfectio animæ in sola Dei unione consistit. Sed hæc unio sola dilectione Dei fit; ergo unio ad proximum per dilectionem ejus ad perfectionem non pertinet. Nec refert quod dilectio proximi sit ad salutem necessaria, et ad ipsam dilectionem Dei; nam inde solum sequitur hanc dilectionem sequi ad essentiam perfectionis, seu comitari illam, sicut etiam sequitur aliorum præceptorum observantiam, non tamen quod ad illa formaliter ac per se pertineat; sicut in beatitudine

eadem visione videtur Deus, et creaturæ in ipso; et nihilominus creaturæ non pertinent per se ad objectum beatificum, nec visio, ut ad illas terminatur, beatificat, sed tantum ut terminatur ad Deum, ut est vulgare dictum Augustini, de quo alias. Sic ergo amor proximi per se ad perfectionem animæ non pertinebit.

14. *Absolute dicendum, extensionem charitatis ad dilectionem proximi, pertinere ad perfectionem.*— Nihilominus absolute dicendum est, amorem proximorum per se pertinere ad vitæ christianæ perfectionem, et ad statum perfectionis. Ita docet absolute D. Thom., d. q. 84, art. 2, ad 3, ac latius art. 3, additis nonnullis limitationibus et declarationibus, ut mox videbimus. Sumitur etiam ex Augustino, in Enchirid., cap. 121; nam prius dicit, charitatem esse finem omnis præcepti, et postea subdit: *Quippe ista est Dei et proximi*; et addit probationem: *Quia in his duobus præceptis universa lex pendet, et Propheta*, Mat. 20. Quem locum exponens D. Thomas, d. art. 3, ait utrumque præceptum conjungi, quia utrumque per se et essentialiter pertinet ad charitatem, principaliter vero ac per se primo prout ad Deum, secundario vero prout ad proximum terminatur. Ratio prioris partis est, quia una et eadem charitas est quæ ad Deum et proximum inclinatur, et ita utraque habitudo, vel potius habitudo ad utrumque objectum, ad essentiam ejus pertinet; ergo uterque amor essentialiter ad charitatem pertinet, ac subinde perfectio charitatis secundum utrumque respectum essentialis est. Confirmari ac declarari potest, quia ipsamet dilectio proximi est aliquo modo dilectio Dei, saltem virtualis, quatenus Deus est ratio diligendi proximum; et ideo sicut electio medii est virtualis dilectio finis, vel sicut adoratio imaginis transit in prototypon, ita dilectio proximi transit in Deum, et hac ratione per se pertinet ad perfectionem charitatis, et aliquo modo uni hominem Deo.

15. *Dilectio proximi pertinet ad perfectionem, sed secundario.*— Ratio vero alterius partis est, quia Deus propter se diligitur, et proximus propter Deum; ergo primario Deus. Item amor charitatis a Deo descendit ad proximum, et circa proximum quasi materialiter versatur, formaliter autem semper respicit Deum; ergo perfectio charitatis per se primo est in amore Dei, in amore autem proximi ad summum per se secundo. Et hoc confirmat exemplum de objecto beatitudinis; nam creaturæ visæ in Deo sunt secundarium

objectum beatitudinis, et non computantur inter ea, quæ accidentaliter sunt, sed per se censentur connexa cum beatitudine et visione, juxta gradum et modum ejus. Denique declarari hoc potest exemplo vitæ activæ et contemplativæ; utraque enim ad perfectionem, imo ad beatitudinem etiam hujus vitæ necessaria censetur; simili ergo modo in vita christiana et spirituali, perfectio unitiva seu contemplativa et activa distingui possunt; et utraque ad consummatam perfectionem hujus vitæ necessaria est. Ex illis autem prior pertinet ad amorem Dei; posterior vero ad amorem proximi; et ideo uterque amor ad perfectionem hujus vitæ necessarius, unusquisque in gradu suo, et cum mutua connexione et radicatione in eadem virtute charitatis Dei. Propter quam dictum est a Paulo, Rom. 13: *Qui diligit proximum, legem implevit*; et Joan., 1 can., c. 3, dixit: *Scimus quoniam translatis sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres*. Non quia dilectio proximi ut sic transferat de morte ad vitam, sed quoniam est certum signum spiritualis vitæ; quia est certum indicium dilectionis Dei, cum qua est per se connexa. Unde dixit Augustinus, epist. 29: *Nemo diligit proximum, nisi diligens Deum*.

16. *Extensio dilectionis Dei ad implendam ejus voluntatem, pertinet ad perfectionem charitatis per se primo.*— Unde a fortiori concludimus, alteram extensionem dilectionis Dei ad implendam voluntatem ejus pertinere ad perfectionem charitatis, non tantum per se secundo, sed etiam per se primo, quia pertinet ad formalem amorem ipsius Dei, ipsumque perficit et complet. Tum quia hoc modo amor non solum est affectivus, sed etiam obediens, ut vocant. Tum etiam quia quidquid boni per talem amorem concupiscitur, ipsi Deo, tanquam personæ ex benevolentia amata, diligitur; ergo totum hoc ad perfectionem primariam charitatis, quæ est in amore Dei, pertinet. Præterea declaratur in hunc modum, quia ad statum perfectorum maxime pertinet concupiscentiæ moderatio, seu immoderata concupiscentiæ extinctio; hoc autem fit per amorem Dei, quatenus extenditur ad placendum illi in omnibus; ergo hæc amplitudo charitatis ad perfectionem maxime pertinet. Et hac ratione dixit Augustinus, d. epist. 29, charitatem esse fortem, sicut est mors, ut dicitur Cant. 8: *Quia sicut mors animam avellit a sensibus carnis, sic charitas a concupiscentiis carnalibus*. Et idem fere habet in Enchirid., c. 121, dicens: *Minuetur cupi-*

ditas, charitate crescente, utique (ut ego intelligo) quoad hunc affectum placendi Deo in omnibus. Et secundum eandem rationem, videtur ibi exponere charitatem esse finem omnium præceptorum et consiliorum, quia ad Dei voluntatem faciendam impleri debent. Sic etiam l. 83 Quæstionum, q. 36, dixit: Charitatis venenum est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium, nutrimentum ejus est imminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas. Hæc autem diminutio cupiditatis, si in se consideretur, per inferiores virtutes, quibus charitas imperat, formaliter fit; ergo ad propriam et formalem perfectionem charitatis pertinet habere vim et efficaciam imperandi totam illam concupiscentiæ expugnationem. Hanc autem non habet nisi quatenus, diligendo Deum, vult illi placere in omnibus, ejusque voluntatem implere.

17. *Probatur ex D. Thoma. — Atque hanc veritatem intendit D. Thomas, d. q. 184, art. 2, dicens, ad perfectionem charitatis hujus vitæ pertinere, ut ab hominis affectu excludat quidquid impedit ne voluntas ejus totaliter feratur in Deum. Distinguit autem ibi perfectionem excludendi omne illud quod contrariatur charitati, vel excludendi quidquid impedit totaliter tendere in Deum per affectum; et priorem dicit esse de necessitate charitatis, ac subinde essentialem illi; posteriorem autem dicit non esse necessitatis, quia sine illa in incipientibus et proficientibus esse potest. Unde tacite innuit esse de necessitate charitatis secundum eum statum quem in perfectis habere debet, ac subinde pertinere ad illam perfectionem vitæ christianæ, ad quam status perfectionis ordinatur. At vero prior perfectio essentialis charitatis requirit extensionem affectus efficacem ad omnia præcepta Dei implenda; ergo posterior perfectio consistit in extensione amoris Dei ad omnes ejus voluntates implendas, etiamsi non præcipiendo, sed consulendo illas nobis significet; seu requirit propositum faciendi quidquid quacumque via vel ratione nobis constiterit esse magis beneplacitum Deo. Ergo hæc perfectio charitatis maxime ad statum perfectionis desideratur; et qui illa magis creverit, vel (ut ita dicam) liberalior cum Deo fuerit, eo in dies perfectior evadet. Et de hoc genere dilectionis dixit Augustinus in Enchir., cap. 73, non esse multitudinis fidelium vel communium justorum, sed esse perfectorum filiorum Dei, quia valde magnæ et beneficentissimæ bonitatis existit.*

18. *Quid sit intensio et extensio in charitate. — Solum potest in hoc notari diversitas in modo loquendi. Nam D. Thomas supra, ad tertium, et ibidem Cajetanus hanc perfectionem dilectionis, quatenus extenditur ad contemnenda omnia temporalia, et sustinenda mala propter Deum vel proximum, intensionem potius quam extensionem charitatis vocant. Existimo tamen tantum esse differentiam in æquivocatione vocis; nam interdum quæcumque excellentia amoris, qui circa eandem personam versatur, intensiva perfectio appellatur; extensiva vero quæ ad plures personas extenditur. Et ita loquitur uterque Thomas. Nos autem solam illam perfectionem, quæ præcise consistit in latitudine graduum ex majori conatu circa actum, qui non solum circa eandem personam, sed etiam circa illud bonum, quod ei concupiscit, versatur, intensionem vocamus. Quando vero amor, licet circa eandem personam versetur, vel majora vel plura bona illi vult, illam vocamus extensionem amoris in bono concupito, quæ esse potest, ut dixi, sine majore conatu potentiæ propter diversitatem objecti, et consequenter cum majori perfectione saltem individuali talis actus, etiamsi in intensione graduati non excedat. Nam hoc etiam modo major perfectio amoris appetitivi solet ab aliquibus vocari major intensio, cum tamen revera non consistat in majore conatu, nec in latitudine graduati, sed in excellentiori modo amandi secundum ipsamet actus perfectionem, ut in tractatu de Gratia et de charitate latius explicatur.*

19. *Tertia perfectio charitatis requiritur etiam ad perfectionem christianam. — Tandem facile intelligitur ex dictis, quid dicendum sit de ultimo perfectionis gradu, seu statu, qui non consistit in aliquo modo intrinseco ipsiusmet habitus, vel actus charitatis, sed in consortio aliarum circumstantiarum, et in conditionibus personæ per charitatem perfectæ. Dicendum est enim etiam hoc perfectionis genus requiri, ut charitas vitæ in statu perfecto esse censeatur; vel ut homo in statu perfectorum esse absolute ac simpliciter dicatur, ad eum modum quo virtutum connectio necessaria est, ut singulæ virtutes simpliciter haberi censeantur, et hoc probant omnia quæ hactenus dicta sunt. Quæ perfectio spiritualis vitæ christianæ requirit cordis puritatem, et habilitatem quamdam in ipsamet charitate ad prompte operandum in tota sua materia, sive eliciendo, sive imperando, et*

ad cavendum non tantum omnia contraria, sed etiam omnes defectus, qui fervorem ejus impedire possunt. Hic autem charitatis gradus sine adminiculo et consortio aliarum perfectionum, quales sunt moderatio passionum, abnegatio rerum temporalium, et similes, haberi non potest; ergo hæc omnia necessaria sunt ad perfectionem simpliciter vitæ christianæ.

20. *Possunt autem hæc omnia duobus modis considerari: uno modo, ut formaliter et proprio ac peculiari modo hominem afficiunt; alio modo, ut charitati obijciuntur, et ex charitate amantur ac procurantur. Priori modo non perficiunt charitatem intrinsece, sed quasi extrinsece ac moraliter, constituendo illam ex parte subjecti in statu habili ad perfectum usum suæ perfectionis, et operationis, quod in rigore satis est ut illa omnia dicantur ad statum perfectionis necessaria. Secundo autem modo spectata, augent intrinsece ipsum charitatis affectum, quasi extensive ex parte objecti. Et hoc modo talis perfectio valde utilis ac moraliter necessaria est in statu perfectionis. Nam sicut Augustinus dixit tunc vitia recte superari, quando ex charitate vincuntur, ita contemptus temporalium, et abnegatio propriarum affectionum, ac omnis abdicatio ad spirituales perfectionem necessaria, tunc solida sunt, quando ipsamet charitate Dei amantur et procurantur: hæc autem extensio amoris intrinseca ejus perfectio est, et ad illam, quæ in proximo præcedenti puncto explicata est, revocatur.*

CAPUT V.

QUID SIT STATUS PERFECTIONIS, QUASVE CONDITIONES REQUIRAT, ET AB IPSA PERFECTIONE QUOMODO DISTINGUATUR.

1. *Bene potest quis esse perfectus, quia sit in statu perfectionis, et esse in statu perfectionis quia sit perfectus. — Quæstionem hanc sub aliis terminis tractat D. Thom. 2. 2, q. 184, art. 4, ubi inquit utrum quicumque est perfectus, sit in statu perfectionis; et e converso etiam interrogare posset an omnis, qui est in statu perfectionis, perfectus sit. In quibus quæstionibus virtute includitur altera a nobis proposita, an illa duo, perfectio et status perfectionis, distincta sint. Imo a priori, ab hæc pendet priorum resolutio; quamvis a posteriori ex priorum decisione distinctio inter illa*

duo manifeste comprobetur. Respondet ergo ad priores interrogationes D. Thomas, contingere posse aliquem esse perfectum, etiamsi perfectionis statum non profiteatur; et e contrario posse aliquem existentem in statu perfectionis non esse perfectum. Et utrumque est certum et experientia notum; omnes enim religiosi sunt in statu perfectionis, et tamen non omnes sunt perfecti; imo plures possunt non esse justis. Et e contrario multi seculares et conjugati possunt esse perfecti, et tamen non sunt in statu perfectionis. Et ratio prioris partis est, quia potest aliquis esse obligatus, et non implere obligationem suam, et habere aliquod munus, et non exercere illud; sicut etiam potest quis esse in statu matrimonii, et illud non consummare, vel officium ejus non exercere. Ita ergo contingit in statu perfectionis, quia, etiam supposito statu, perfectio ex libertate hominis pendet.

2. *Impugnatio, et ejus solutio. — Ratio autem alterius partis est, quia, licet status sit commodus ad perfectionem acquirendam, nihilominus non est medium necessarium, et ideo potest extra statum perfectionis ad perfectionem perveniri. Dices: consiliorum observantia et executio non tantum utilis, sed etiam necessaria est ad perfectionem obtinendam, ut infra dicetur; ergo non potest ad perfectionem perveniri sine aliquo statu perfectionis. Respondetur negando consequentiam. Primo, quia sine statu perfectionis potest quis opera consiliorum exercere, et per illa spontaneæ et sine ulla status obligatione facta, poterit ad perfectionem pervenire. Secundo, quia ad perfectionem animi obtinendam non est necessarium omnia consilia integre observare, sed aliqua interdum sufficient; ut, licet aliquis virginitatem aut continentiam integram non observet, cavendo illicitam incontinentiam, et aliquid consilii in ipsa continentia conjugali observando, et aliqua opera perfectionis, ut orationis, penitentia, et mortificationis, voluntarie et sine speciali obligatione exercendo, poterit ad perfectionem pervenire; idemque de consilio paupertatis, et aliis sigillatim sumptis dici potest.*

3. *Status perfectionis a perfectione distinguitur. — Definitio status perfectionis. — Hinc ergo evidenter concluditur responsio ad quæstionem propositam, nimirum, perfectionis statum ab ipsa perfectione distingui. Probatur ab effectu, quia de facto illa duo inter se ac*